

## Cartulaire de l'abbaye de Gorze, Nr. 70

In Christi nomine. Ego Sicco presbiter quondam, pro Dei intuitu, et pro anime mee remedio, seu et pro eterna retributione, dono a presenti die ecclesie sancti Petri et sancti Gorgonii, vel ad monasterium quod dicitur Gortia, seu ad fratres dominos meos, que est constructa in pago Scarponinse, hoc est res meas in pago Warmacinse, in villa Flamereshaym, idem mansum meum qui habet in longum perticas XVI, in latum perticas XIII, qui determinatur ita : de uno latere ratio sancti Petri de monasterio Wisemburho, de alio latere ratio sancti Gorgonii, de ambabus frontibus ego ipse teneo. Similiter dono alium mansum in ipsa villa, qui habet in longum perticas VI, in latum IIII; dono etiam vineam I ad ipsum mansum aspicientem, que habet in longum perticas XXX, in latum XIII, de ambobus lateribus ratio sancti Gorgonii, de una fronte strata publica, et terram arabilem in ipsa villa vel in ipsa fine, iornalia XLI et dimidium; et in fine Hebisten iornalia XI, et pratum unum ubi habet iornalia VI; similiter, in fine Hemeresheim, iornalia V de prato; et ad Grethesheim jornale I de prato. Hoc est tam mansis, edificiis, terris, pratis, cultis et incultis, aquis aquarumve decursibus, quicquid in ipsa villa vel in iam dictis finibus visus sum habere, de qualicumque adtractu, sive de paterno vel materno, seu de comparato ad me legibus venit, totum in integrum, ad iam fatum monasterium trado atque transfundo. Similiter dono mancipia mea, servos et ancillas his nominibus : Amolum, Teutbaldum, Everadum, Btilonem, Tancredum, Arnustum, Odelricum, Ragnaldum, Leutsindam, Teutwidim, Biliardum, Albradam, Rothindim, Dimam, Teutardum. Similiter dono in Paternis villa casam meam, cum cellariis, et camberis, et orreis, et aliis edificiis bene ornatis. Ista omnia superius comprehensa de iure meo et potestate in iure ipsius monasterii vel ad ipsos fratres transfundo atque dono, ut omni tempore proficiat in augmentis. Si quis vero quod fieri non credo, si ego aut ullus de beredibus meis, aut ulla opposita persona contra hanc donationem sive testamentum a me factum venire temptaverit, aut irrumpere vel immutare voluerit, in primis iram Dei omnipotentis incurrat et sancti Petri, insuper inferat ad partem ipsius monasterii cum cogente fisco auri libras III, argenti pondera VI, et quod repetit evindicare non valeat stipulatione subnixam. Actum in Gorzia monasterio, publice, anno quo supra. Signum Sicconis presbiteri, qui hanc donationem fieri et firmare rogavit; Signum Bertaudi; S. Rothardi; S. Berneri; Sig. Herchemodii; Signum Amenulfi; S. Wiperti; S. Valo; S. Meraldi; Signum Agunaldi; S. Wichardi; S. Autberthi; S. Roberti; S. Adulfi.